Ordinis medicorum ... decanus Ernestus Antonius Nicolai solemnia inauguralia ... medicinae candidati Joannis Scherbii ... indicit. Praemittitur commentationis de sanguinis missione in febribus intermittentibus particula decima sexta / [Ernst Anton Nicolai].

Contributors

Nicolai, Ernst Anton, 1722-1802.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Literis Fiedlerianis, [1790]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/eku34xxt

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

29

ORDINIS MEDICORVM IENENSIS

H. T.

DECANVS

D. ERNESTVS ANTONIVS NICOLAI

SOLEMNIA INAVGVRALIA

DIGNISSIMI MEDICINAE CANDIDATI

IOANNIS SCHERBII

MOENO-FRANCOFVRTANI

A. D. V IVNII MDCCXC

HABENDA

INDICIT

Praemittitur commentationis

de ſanguinis miſſione in febribus intermittentibus

Particula decima ſexta.

IENAE

LITERIS FIEDLERIANIS.

Si febres intermittentes conſiderantur per ſe ſolae ſine nexu cum aliis rebus, quae cum iis poſſunt et ſolent coniungi, nunquam indicant venae ſectionem, et hoc reſpectu omnino vera ſunt, quae enunciaverat immortalis BOERHAVE *Aphorism. de cognoſcendis et curandis morbis* §. 762 inquiens, in febribus intermittentibus nocet venae ſectio per ſe ſemper, et SYDENHAMVS *Oper. Tom. I.* p. 54 intermittentium, aiens, febrium autumnalium curationem non ſine ingenti diſcrimine per phlebotomiam tentari, frequenti nimis obſervatione jam didici. Etenim in tertianis, (maxime, ſi earum conſtitutio fuerit epidemica) hac methodo ſanandis, niſi chirurgi gladiolus eodem ictu, quo venam pertundit, ipſam etiam febrem confodiat, dictae febres, etiam in vegetioribus et athletice cetera valentibus non niſi largo temporis tractu expugnari ſe patiantur, in provectioribus autem diutinum febris cruciatum tandem etiam mors excipit. Adde, pergit, quod venae ſectio alia etiam ſympto-

mata illa maturius accerſivit, quae febres autumnales intermittentes in ſtatu declinationis vel comitari diximus vel a tergo ſequi. Quartanariis vero in tantum obeſt phlebotomia, ut juvenes, qui a morbo alias intra ſex menſes fuiſſent liberati, per ſex adhuc alios ab eodem detineantur, aetateque provectiores, qui, niſi ſanguinem detraxiſſent, intra annum poterant ſanari, morbum etiam ultra ſtatutum illud tempus alere periclitantur ac denique ab eodem victi ſuccumbere. Si vero febres intermittentes conſiderantur in nexu cum aliis rebus, quae cum iis ſolent coniungi, vt aegri ſingulari conſtitutione, plethora, ſymptomatibus inſuetis, ſolito grauioribus, urgentibus idque genus aliis, tunc omnino multi occurrere poſſunt caſus, vbi venae ſectio maxime eſt neceſſaria. Penitus invalidae et fractae vires, quae miſſionem ſanguinis ferre et ſuſtinere non poſſunt, probe ſunt diſcernendae a viribus ſanguinis copia nimia oppreſſis, quae veluti ab onere moleſtae gravitatis ſpeciem imbecillitatis praebent, quo in ſtatu, niſi ſufficientis ſanguinis detractione vires subleuentur, vita eorum, qui febre intermittente correpti ſunt, in ſummo verſatur periculo.

Nunc potius ad id tranſeamus, quod edendae huic ſcriptiunculae cauſſam nobis occaſionemque prae-

praebuit. Scilicet publicis laudibus ornandus et praedicandus eſt ſummorum in arte noſtra honorum Candidatus digniſſimus. Ipſam de vita et ſtudiis eius narrationem adjiciemus, quam ſuis conſcriptam verbis nobis exhibuit. Habet vero illa ſe ita:

Ego IOANNES SCHERBIVS, *Francofurti propter Moenum, patre* IOANNE IACOBO GOTTLIEB SCHERBIO *Gymnaſii Francofurtenſis Prorectore, ac matre* CATHARINA ELISABETHA BACHMANN, *centurionis ciuilis ſpectatiſſimi atque viri praeſtantiſſimo unius et quinquaginta virorum collegio adſcripti filia, anno* CIↃIↃCCLXVIIII. *die decimo primo menſis Iunii ſum progenitus. Qui praeclarae exiſtimationis probataeque inter bene ſentientes vitae morumque integritatis parentes nihil in me bene educando et formando omiſerunt omnibusque praeceptis, quae ad Dei cultum virtutem morumque probitatem pertinent, optime inſtruxerunt, ita ſane, vt plura a parentibus in liberos, quorum ſaluti pie ac prudenter conſulunt, proficiſci non potuerint. Quorum plurimorum ac maximorum in me meritorum memoriam gratiſſimam nulla unquam delebit oblivio. Mihi itaque primis litterarum fundamentis jactis, ad illuſtre, quod optimis inſtitutis ad conſervandam atque augendam linguarum doctrinarumque gloriam egregie eſt inſtructum, Gymnaſium, almam egregiorum virorum matrem*

trem, missio praeclarissimorum ac doctissimorum magistrorum, Rectores PVRMANNI, RAMBACHII, *Patris carissimi,* SCHILLERI, *beati* ZINCKII POPPII *et* ROEMERI, *cuius in me amicitia singularis verbis non satis extolli potest, institutionibus uti licuit, nihilque isti viri, quod ad meam salutem felicitatemque pertineret, omiserunt, Pro quibus immortalibus in me meritis nunc quoque omnibus illis publice gratias ago habeoque, quas possum, maximas. Factis in ingenuis disciplinis, quibus iuvenilis aetas imbui solet, progressibus, in* SENCKENBERGIANO *theatro anatomico dissectioni humanorum corporum ab experientissimo Doctore* RIESIO *institutae interfui. Tum anno* CIↃIↃCCLXXXVII *Ienam me contuli, atque a Perillustri* ECKARDT, *tunc temporis Prorectore magnifico, in civium academicorum numerum sum receptus, atque maximo cum emolumento institutionibus virorum maximorum ac doctissimorum usus sum. Persuasus vero doctrinas philosophicas reliquarum scientiarum esse fundamenta hisque praemittendas, lectionibus philosophicis primum operam dedi. Et quidem docuit me* ILL. VLRICH *Logicam, Metaphysicam et Anthropologiam philosophicam, Ill.* SVCCOW *Historiam naturalem ac Physicam, Cl.* FISCHER *Mathesin puram. Quibus discliplinis praemissis, ipsas scholas medicas adii, atque praeceptores sequentes venerandos habui, nempe Ill.* NICOLAI *in pathologia,*

Ill.

Ill. GRVNERVM *Fautorem ac Patronum ſemper ſumma animi pitatate colendum, in methodo artem medicam addiſcendi, ſemiotica, therapia tam generali, quam ſpeciali, arte formulas medicas praeſcribendi, medicina forenſi et hiſtoria medica, exercitationibusque disputatoriis, quae ſub huius viri de me longe meritiſſimi auſpiciis florent, per biennium et quod excurrit interfui, eumque* CELSVM *explicantem audivi. Ill.* LODER, *cuius quanta in me ſit benevolentia, ſatis ſuperque perſpexi, in phyſiologia, anatome, chiurgia tam medica quam manuali, et arte obſtetricia me erudivit eoque duce aegrotis quibusdam ſanitatem reddidi, parturientibus opem tuli et cadavera diſſecui. Ill.* STARCKE, *cuius in me merita grata ſemper recordabor mente, in materia medica et therapia ſpeciali habui praeceptorem venerandum eiusque auſpiciis aegrotos curare didici eisque opem tuli. Excell.* FVCHS *Chemiam, Excell.* BATSCH *Botanicen et Exper.* SCHENCKE *oſteologiam me docuit huiusque excurſionibus botanicis per trienium interfui.*

Satis vero in examinibus omnium expectationi fecit et recte reſpondendo ad quaeſtiones ipſi propoſitas luculenter ſuam in rebus medicis peritiam ſic omnino comprobavit, vt communi ſuffragio ipſi artis noſtrae ſummae dignitates, merita diligentiae virtutis

et

et eruditionis ſuae praemia, decernerentur, quae ipſi proximo die ſabbathi, qui eſt menſis Iunii V, ſum collaturus. Cui actui ſolemni ut intereſſe et laetum hunc Candidato diem ſplendidiorem Veſtra praeſentia reddere benevole velitis, Vos, PRORECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, S. R. I. COMITES ILLVSTRISSIMI, PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI, ILLVSTRES ATQVE EXCELLENTISSIMI PROFESSORES, VTRIVSQVE REIPVBLICAE PROCERES, GENEROSISSIMI AC NOBILISSIMI COMMILITONES, LITERARVM AC BONARVM ARTIVM FAVTORES, quanta fieri poteſt maxima obſervantia et humanitate rogo et obſecro. P. P. Sub Sigillo Facultatis a. d. III. Iunii CIↃDCCXC.